n°. 8.
reçu le 11. Xbre 1733.

Membris Academiæ Chirurgicæ
Parisiensis experientissimis S. D. P.
Ygo Gaukes, Med. Dr. et Chirurg.

Cum octavo idum novembris hujus anni M.DCC.XXXIII
legere mihi Bibliothecam contigit Belgicam, quæ sin-
=gulis mensibus prodit, cognovi jussu <u>Regis Galliarum</u>
<u>Christianissimi</u> Academiam Chirurgicam Parisiis
esse institutam. Eademque opera didici, <u>Quæstionem</u>
esse propositam cui responderetur dignissimam. Eam
vero hujusmodi esse conceptam, <u>Quænam utilitates et noxæ</u>
<u>pro diversis vitiis à linamentis ac dilatantibus expectan-</u>
<u>=dæ venirent</u>. Et quia responsionem reddenti optimam
premium tanto Rege dignum fuisse destinatum vidi, pro-
=ximis homo plusquam septuagenarius operæ pretium du-
=xi hoc litteris consignata responsionis loco transmittere.
Ut autem ordine institutum absolverem, necessarium
arbitratus sum describere

1. <u>varia linamentorum genera</u>,
   a. <u>plana</u>;
   b. <u>cylindracea</u>;
   c. <u>coniformia</u>.
2. <u>Dilatantia</u>
   a. <u>solida</u> variæ materiæ, quæ
      α <u>per poros suos</u>,
      β <u>per molem suam</u>, } dilatant,
   b. <u>fluida</u>.

Simulque adjicere <u>vitia</u>, quibus et cur proficiant ac noceant
sic ut supervacanea, et quæ ad felicem praxin faciendam ne-
=cessaria non sunt, (ne entia præter necessitatem multiplice-
=mus) simus omissuri, omnibus, quam paucissimis potui,
=mus, expressis.

1. <u>Linamentorum</u> materia est linteum vetus et detritum in fila
   integra digitis, vel filamenta subtilissima cultri acie discerptum:
   quo vulgo <u>carpia</u> dicitur.
   a. <u>Linamenta plana</u> sunt carpia in planam molem magnitu-
   =dinis pro re nata varia disposita.
   quod si linamentis planis opus habemus maximis, in carpiæ
   vicem stupam purissimam atque filamentorum exilissimo-
   =rum substitui licet.
   Locum habent in vulneribus per telum pungens non alte fa-
   =ctis; etiam per telum incidens; ut et, per telum retusum: nec
   non, quæ per sclopetum in corporis superficie sunt facta;
   quin et in ulceribus planis sordidis, nam puris curandis em-
   =plastra sola sufficiunt.
   Verum cura habenda, ut harum solutionum oras una
   cum

cum ipsis contegant, ne concavae evadant, orasque contrahant altas: cujus rei causa quoque non in ipsas solutiones sunt deprimenda, nisi hoc sanguinis cursus postulet: nam sanguinem supprimendi gratia alia super alia satis valide sunt intrudenda.

Praeter hoc filamenta carpiae subtilissima valent ad desiccanda ulcuscula pura in cute lympham exsudantia, modo in molem convoluta laxam laxe imponantur: illud enim ipsum carpiae fila integra praestare nisus possunt.

b. Linamenta cylindracea sunt carpia in figuram cylindricam convoluta.

Hoc autem utilissima sunt plagae abscessui externo inflictae, si inter illius tantum oras blande inferantur specillo.

Atqui non adstricta sint oportet, ne ob duritiem excitent dolorem; non profunde inferantur, nec nimis parva sint, ne orae ante sinus purulenti sanitatem coalescant; nec nimis quoque magna, ne materiae purulentae exitui obsistant.

Hoc autem ultimum magis metuendum est a linamentis coniformibus, quae igitur in hujusmodi genere vitanda censeo, nisi sanguinis fluxus hoc prima requirat deligatione.

Ipsorum magnitudo magnitudini plagae, ut plagae magnitudo magnitudini abscessus esse proportionata debet.

Sed abscessus licet magnus in vultu, cum consulere formae conveniat, plaga exigua incidendus est, cum eo ut pro linamento cylindraceo fistula plumbea utamur. Etenim pure e sinu per eam libere et continue prodeunte, sanitas feliciter reddi potest.

Alioqui incisio, nisi arteria aut tendo juxta sit, perquam magna facta curationem non mediocriter maturabit.

c. Linamenta coniformia (Cornelio Celso linamenta oblonga et implicita vocata) sunt carpia in coni figuram adstricta. Hujusmodi vero linamenta apta sunt,

α. vulneri sanando, nempe,

א. per telum pungens majusculum alte illato.

Sed hic animadvertendum est ut curatione tota durante ipsa plaga teneriora sint, adeoque facile ea excipiantur. Si namque plaga difficilius excipiantur, subintrando dolorem excitabunt.

Adhaec ipsa plaga esse breviora debent, caeteroqui non repleri carne poterit.

Etiamque non procul à fundo absint oportet; quia, hoc
si fiat, materia purulenta in eo coibit dolorem et in=
=flammationem; quin et sinum creatura.
Denique laxius adstricta sint oportet, ne ob duritiem
moveant dolorem; praesertim si vulnus juxta
tendines aut articulis sit illatum.
Attamen si hæmorrhagia terret, prima deligati=
=one ipsâ plagâ paulo crassiora et longiora sint
necesse est, cum eo ut etiam valide adstricta sint;
secus enim ob laxitatem in plagam detrudi non
poterunt.
Atqui in vulneribus ad pectoris aut abdominis
cavitatem penetrantibus, si plaga late fiat, cu=
=randum ne filo adnexo intus delabantur.

B. <u>Solutioni continuæ apertæ servandæ</u>, nempe
ℵ. <u>vulneri per sclopeti globulum alte facto.</u>
In hujusmodi vulnere linamenta conformia easdem
animadversiones, quas paulo ante sub <u>α. vulneri sa=</u>
<u>=nando ℵ</u> proposuimus, habere debent, praeterquam quod
adhuc paulo tenuiora et breviora fiant, ut ob spacium
aliquanto majus circa hoc linamenta caro corru=
=pta facilius resolvatur ab integro; et si vulnus mem=
=brum transiit, ab utraque parte demittantur.

ℶ. <u>Vulneri ad calculum in viris extrahendum facto.</u>
Etenim hoc plaga aliquot diebus aperta servanda, prae=
=cipue cum calculus sub forcipe confractus est, pro=
ejus portiunculæ, mucusque, si intus sit, quo
per usum venit, per urinam eluantur, ut fere sem=
Huic rei accommodata sunt linamenta conformia
ex stupa purissima ac subtilissima constricta: nisi
quis ea mavelit conficienda ex linteolo, cui empla=
=strum aliquod illitum sit, in figuram conicam con=
=voluta; quorum pars anterior satis cuspidata, et po=
=sterior in latitudinem alatam expansa sit, corpus=
=que ipsorum respondeat plagæ.

ℷ. <u>Ulceri ex abscessibus tumorum glandulosorum, tuni=</u>
<u>=catorum, aliorumque frigidorum vulgo dictorum,</u>
scilicet eatenus, donec glandulæ exulceratæ, vel tuni=
=cæ, curationi obsistentes, per medicamentum exe=
=dens sint consumptæ: vel donec pertinax obstructio
duritiem producens per medicamenta aperientia sit
reserata.

γ. <u>Comprimendis vasis aliquid fluidi emittentibus</u>, sicut ac=
=cidit in vulneribus altis <u>sanguinem effundentibus</u>; et
in ulceribus non admodum altis exteriorem corporis par=
=tem tenentibus, in quibus ductus quidam salivalis sa=
=livam, aut vas lymphaticum <u>lympham</u> effundit, si mo=
=do linamentum conforme ad vasis aperturam pertinge=
=re queat.
Siquidem nisi hujusmodi linamenta vasorum apertu=
=ram jugiter valde comprimant atque claudant, non fa=
=cile

cile sperari sanitas potest: cujus rei causa ipsis solutionibus
continuis majora et satis adstricta, aliqua vi intrudenda,
sint necesse est.

Cæterum à linamentis transitum facimus ad

2 Dilatantia

a. solida vario materia, quo

α. per poros suos dilatant: etenim poris suis excipiunt
aliquod fluidum, quo quaquaversum extensa ulcus
dilatant. Suntque

א. radices, ut calami aromatici, cum quis delectatur
odore suavi; vel gentianæ, cum ulceris purgatio=
=ne opus est; vel althææ, cum emollitione; vel de=
=nique consolidæ majoris, cum consolidatione.
Nimirum una ex his radicibus circumciditur, sic=
=que adaptatur.

ב. Spongia, è qua portio oblonga excisa calcis a=
=qua parum ob admixtam calcem albente im=
=buta lemnisco vel funiculo plano circumliga=
=tur quam arcte fieri potest. Tum de funiculo=
hoc dependente ad lenem ignem suspensa desic=
=catur, quod duodecim horarum spacio evenit,
et ubi necessitas utendi est, sublato funiculo, de=
=mittitur
Modus adaptandi spongiæ portionem ex cera liquæ=
=facta exprimendam, etiam non aspernandus
est: posteriori modo adaptata demitti potest, simul=
=atque cera frigore in poris spongiæ induruit.
Hoc loco non ignorandum est, dilatationem,
quæ per spongiam fit, omnium esse maximam,
adeoque adhiberi posse ad meatum urinarium
in mulieribus calculum extrahendi gratia
dilatandum, si ferrum dilatatorium recusent.
Sed quia dilatatio à spongia petita, et tempus
longius requirit, et vehementius affligit,
quam à ferramento dilatatorio facta momen=
=to, ideo jure merito rejicitur, atque postponi=
=tur alteri modo

ג. Medulla sambuci compressa: hæc ulcus amplia=
=re metum adfert, ne dum humore excepto distenta
extrahitur, abrumpatur.
Verum hoc evitari potest, si secundum longitudinē
acu longa trajiciatur filum ducente, cui à parte
anteriore nodus injicitur.

ד. Gummi tragacanthum. At quoniam hoc, dum
ulcus eodem modo dilatat, liquatur, diffluit,
in sinum coit, difficulterque recipitur, haud im=
=merito damnandum existimamus.
Omnia supradicta dilatantia singulis diebus
majora usque ad desideratam dilatationem fi=
=eri debent, et ab anteriore parte leviter tenuā=
=ta.
Usurpantur plerumque ad orificium ulceris di=
=latandum, in cujus imo fit sinus, sive ab absces=
=su

=su relictus, sive ab osse aliave parte corrupta factus, me=
atu recto existente (nam tortuosus recipere non potest).
Praeterea superficiem laevem, quo jucundius ingrediantur;
et magnitudinem, aut longitudinem et crassitiem eam,
quam sinus purulenti, aut alicujus in eo corrupti ma=
gnitudo exigit, habere debent.
Adhoc non adeo crassa sint oportet, ut non aliquod spa=
cium inter ea ulcerisque parietes intercedat: alioquin
non tota expandunt, sed eorum cuspis duntaxat ab
humore in sinu versante, et ob hoc ipsum non sine
molestia extrahuntur.
Atqui specialiter cum caro excrevit in itinere è
nare in fauces tendente, unde aeris transitus pro=
cluditur, dilatatio utilissime fit per radicem me=
diocriter planam et leviter deorsum incurvatam
quo longitudinem duorum circiter digitorum
transversorum habeat: longior enim teste expe=
rientia ad fauces descendere nequit.

B. Per molem suam dilatant

א. Candela cerea, obtinens cum iter ab orificio ul=
ceris in sinum non admodum longum, nec parieti=
bus crassis circumdatum, et non nisi parum tor=
tuosum est: etenim si iter illud admodum lon=
gum, ac parietes crassi sunt, fistula plumbea
opus est; et si nimis tortuosum est, candelam
ceream transmittere non potest.
Videlicet primo candela cerea simplex, deinde du=
plex, tum triplex, imo si necesse est, multiplex
in unum digitis calidis juncta, et oleo olivarum
illita, vi aliqua demittenda, cuspide in quam ca=
lore mollito undique compressa sunt procede=
te.
Eodem modo candelam ceream paulatim et
iam multiplandam, cuspidandam, et oleo
olivarum oblinendam cum euphoria (nam
hoc pars perquam sensibilis est, nec durius
dilatans patitur) in anum demitti bonum est,
cum ex ulcere in intestino recto excrevit
caro sufficientem faecum alvinarum excre=
tionem impediens.

ב. Pessarium è ligno durissimo factum, et perfo=
ratum, quo quicquid fluidi intus est, exeat.
Locum habet, cum vagina uteri ex ulcere ci=
tra pessarium curato per cicatricem
aut parietum coalescentiam angustior est,
quam ut membrum virile admittat.
Summum ex hujusmodi ligno exciditur conus
plus minus quatuor digitos transversos lon=
gus, laevi superficie praeditus, initio curationis
tenuior, at paulatim crassior factus, oleo olivarum
illitus vi tolerabili in cervicem uteri adigendus,
vin=

vinculo quodam etc. ne elabatur continendus, et filo adnexo
necessitate exigente educendus.

J. Catheter flexibilis solidus, qui longe facilius quam cathe=
=ter flexibilis argenteus in vesicam intrat, idque sine
flexu fisso, quem candela cerea in longum iter flexu=
=osum immissa contrahit.
Ille vero catheter paratur ex linteo pyramidis longo la=
=tus referente, cui emplastrum quoddam inductum sit.
Hoc autem emplastrum constat ex emplastro citrino,
cujus unciae uni, resinae uncia una et dimidia, et glu=
=tinis quo sericinarii uti sunt soliti, drachma semis=
admixta sunt liquando.
Linteum illud hoc emplastro illitum arcte secundum
longitudinem circumvolvitur; foris tum eidem ex
eodem emplastro ferventer liquefacto, quo penetret
tenuiter inducitur; et super mensam aqua respersam
manu rotatur ut teres aequalisque fiat, crassitiem
crassioris candelae cereae adaequans, ac paulatim ab
anteriore parte gracilius evadens.
Hoc autem anterior pars vel cuspis demittitur in ce=
=ram viridem etiam ferventer liquefactam, ut
educta fiat globosa.
Hujusmodi catheter oleo olivarum oblitus, et per
penem in vesicam immissus conducit ejus collo
ob coalescentiam vel carnem incretam ad mo=
=dum angusto dilatando.

7. Acus plumbea convenienter crassa et levis, sed
cuspidis retusae, quae cum urethra ob carunculam
ex ulcusculo enatam angustata urinam non nisi
cum magna molestia transmittit, maxime condu=
=cibilis est..
Videlicet in oleum olivarum intincta in meatum
urinarium a latere carunculae, qua via patet, ultra
eam demittitur, et per filum adnexum ac empla=
=strum tenax continetur.
Hujusmodi acu non urethra modo dilatatur, sed et si=
=mul caruncula compressa sensim extenuata sa=
=nescit.

N. Ferramentum conforme in viris etiam non aspernandum in feminis utilissimum, et
utrobique calculum extrahendi gratia ad dilatationem instituen=
=dam.
Ejus autem pars anterior conus est cuspide retusa
satis tenui praeditus, quo facilius in conductoris
sulcum recipiatur, et exiliat difficilius.
At posterior pars est cylindrica, cui circumdatur
emplastrum aut aliud quid remorae loco, us=
=que ad quam celerrime in urethram vel pla=
=gam vi aliqua per sulcum conductoris in ipsam
com=

compellatur vesicam.

Machina suprascripta dilatatoria utpote figura circula-
=ti, quae capacissima est, dilatans, anteponenda est
vulgari dilatatorio, quippe quod forcipis figuram
habens secundum longitudinem dilatat.

Hoc generis tria adminimum dilatatoria diversae ma-
=gnitudinis pro diversa corporis magnitudine in prom-
=ptu habere oportet. Neque in viris longiori opus est,
modo pars cylindracea satis longa sit.

Sciendumque est, totam urethram in sexu muliebri
in virili partem urethrae, et in utroque simul col-
=lum vesicae satis ad ingentem calculum extra-
=hendum dilatari, et quidem citra incontinen-
=tiae urinae periculum, (si modo calculus laevis sit
non asper aut spinosus) fibris licet et vasis sangui-
=feris ruptis.

Nam fibrae, calculo extracto, vi elastica se statim
et postea paulatim magis magisque contrahunt
unde protinus etiam initio sanguis facile sistitur. Id
quod ipse edoctus sum, quum talem plurium ovo
anserino magnitudine vix cedentem extraxis-
=sem. Idcirco in hujusmodi casu incisione haud
opus habemus.

1. fistulae plumbeae, cujusmodi prae argenteis aliusve
materiae utpote factu facilioris et minoris pretii,
usu magis receptae sunt.

Scilicet adhibentur ad orificia ulcerum usque in
sinuum purulentorum, quem in imo habent, dila-
=tandum, cum iter rectum, admodum longum
et parietibus crassis cinctum est.

Concinnantur ex lamellis plumbeis crassitiei con-
=venientis bacillo ligneo sensim parum tenua-
=to circumvolutis sic, ut pars anterior paulo graci-
=lior, et quodammodo globosa sit; latera aequa-
=liter se contingant, non nimium alteri instar squa-
=marum piscis insideat (quia tum facile sub dila-
=tatione subsidunt); et pars posterior alata, ne
=llabantur, nec ora sua dolorem moveant; cor-
=pore ipso perquam laevi existente quo facilius
subintrent.

Tandem necesse est, ut eam longitudinem habe-
=ant, qua in sinum perveniant, quod specillo
ante immisso explorari debet; et paulatim cras-
=siores fiant, donec via satis sit ampliata.
Hujusmodi fistula oleo olivarum intincta lente de-
=mittitur, donec pars anterior in ipsum sinum ve-
=niat: qua re fit, ut materia purulenta sub ipsa di-
=la

=latatione semper liberum exitum habeat, id quod
à dilatantibus non fistulosis effici non potest.

Hucusque de dilatantibus solidis: sequuntur tandem di=
=latantia

b. fluida, ut

α. aqua. Hujusmodi per aquam dilatatio in lithotomia
virilis apparatu alto dicto peragitur hac ratione.
Per catheterem immissum, pene leniter ligato,
aqua tepida syringæ beneficio in vesicam adi=
=gitur, idque repetitis vicibus, donec plane sit di=
=stenta, quod quantitas aquæ injecta, et intume=
=scentia hypogastrii indicat. Cum, dum radix pe=
=nis vinculo injecto adstricta habetur, catheter
recipitur. Hoc facto, dum æger resupinatus sellæ in=
=sidet, cultro incisorio infligitur plaga oblonga
à latere lineæ albæ supra os pubis non penetrans.
Ubi tum digito in plagam conjecto aquæ undu=
=latio sentitur, eodem cultro ipsum vesicæ corpus
inciditur; per incisionem statim detruditur digito
duce digito conductor; et per conductorem forceps,
quæ calculum apprehensum educat.
Sed etiamsi vulnus vesicæ loco à fratre Jacobo re=
=perto carente inflictum facile sanescit, tamen in
summa vesica factum (quia hæc magis mem=
=branosa est, et forsan urina jugiter exit vel in
ipsam abdominis cavitatem), nequaquam faci=
=le sanitatem admissurum mihi videtur. Quam
ob rem hunc lithotomiæ modum tutius non imi=
=tandum opinor.

β. Aer: nam si lapillus in fistula urinæ hæret, pene
cataplasmate emolliente emollito, et immis=
=so per tubum flatu distento, exsugere quidam
illum tentant. Verum plerumque
non semper, oleum et operam perdunt, si
=quidem lapillus ut plurimum asper est et an=
=gulosus majusculusque. Et ut lævis, globosus, et exi=
=guus sit, metus tamen subest ne verius per im=
=missum flatum in vesicam propellatur, nisi
vinculum injectum obstet.
Utique mihi illud quondam tentanti non succes=
=sit: imo ne quidem per lapidillum per quam ex=
=iguum, nec per teraculam exilissimam, ne=
=que per pusillum hamulum cautissime demis=
=sum educere lapillum mihi contigit: unde
semper incisione ab inferiori penis parte in u=
=rethra facta per lapidillum exiguum protra=
=here cum sim coactus. Pridie Nonarum De=
=cembris anni M.DCC.XXXIII.